

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 19. Decembris.

M. RAYMUNDO VASLET

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An cardiaca purgantibus commiſcenda?

I.

IN affectibus, quos purgatio ſanat, Caput artis eſt humorem funditus ſubducere, ne morbus ab eo reviviſcat: haud eò tamen ſic ſe totum medicus intendit, ut quæ ſalutaria ſunt, grata tutaque præbere ſit nefas, & quod catharticis nocentius ineſt partim imminuere, vehementiora leniendo, vel blandiorum permixtione temperando. Verum quidquid cominiſcatur medicus, ut purgandi difficultatem elevet, tota ſæpe devoranda. Epoti medicamenti, & agitatæ ab illo impuritatis, per ſtomachum, per lactes, per alvi vortices euntis morſus acerrimi, perpeſſu ardui. Adde in ipſo purgationis æſtu varias partes variè tentari, caput vertigine, ſonoribus, ſtomachum nauſeâ, cordolio, ventrem torminibus, aſſidua deſidendi neceſſitate, univerſum corpus virium deliquio: inter hæc ægri exclamant, medicum compellant. Ecquid conſilii ferat? Quò tardum nimis anxiæ purgationis exitum acceleret & cathartico con-

902

cuſſas vi res ſuſtentet, qui hæc duo paulò ante mox ſe præſtiturum repromiſit cum cardiaca catharticis commiſcuit.

II.

CARDIACA veteribus non nominata magis quam uſurpata, ſequior ætas in medicinam intulit, hepaticorum, ſplenicorum, & ſimilium appellationem imitata, uſus conſilio & eventu non diſſimili; hæc enim, ut illa, nulla vis commendat, appellanti curandæ parti propriè & unicè conveniens, quæque ullo medendi ſucceſſu ſeorſim innoteſcat, ſed jactata paſſim arcana quamvis in arte nulla, & remedia ſanandarum partium nomine inſignia, credulâ ægrorum ſuffragatione ſic invaluerunt ut cum præcipuis medicinæ auxiliis ſalubritate contendant, & malignis in febribus ſæpe cardiaca virus foras evocandi decertatâ poteſtate laudem diviſere, quam ſola nullam tuliſſent uni venæ ſectioni tribuendam. Magna eſt in medicina erroris fœcunditas. Cardiaca non ſolum morborum, ſed etiam remediorum medelæ facta ſunt, & fato in dies meliori, quæ alio deſtinata à purgantium commercio longe ſemota jacebant, hodie illis conſociantur. Jam lapillis & unionibus pretium accendit, non ſplendoris, vel operis, ſed virtutis admirabilitas, quæ cordis ſoſpes, medicamentorum emendatrix, purgationi præficitur, catharticum rectura imperiò, cujus vires ad arbitrium vel præſentia mitiores præbeat, vel ſi receſſerit, vehementiores, neque ſine damno profuturas ſinat in corpus irrumpere.

III.

ECCE adſunt ad purgationem ſigna, & omnibus ritè peragendis occaſionis ſuperbiam ineſcavit medicus; atque ut tutiùs & efficaciùs purget, diffuſæ potionis plures impingit cyathos. Quid tum cardiaca purgantibus immixta poculis? Stomacho turbulentos hauſtus faciunt, & odore bono, quo ſolo prodeſſe poſſent, inſitam purgantium inſuavitatem triſtius acuunt diutius vomituriente ægro. Conceptum alvo catharticum altius ſe inſinuavit, & coactam undique bilem, pituitam, ſerum nullo diſcrimine in communes corporis vias compellit, magno ſæpe quidem excutientium ſe ſe partium tumultu, alta interim otia ſervantibus cardiacis: quorum vis majori cathartici virtute ſic obruitur ut nulla compareat, aut iniquis paſſibus ſecuta, nihilò promovendæ aut abſolvendæ quam inchoandæ purgationi utilior, aut comprimendis quæ ſuboriuntur ſymptomatis ubique ſupervacanea perſtat. Re perfectâ, & exacto humore noxio, vires, quid magnum enixæ, ſuſtinendæ ſunt, ne penitus ruant. Præterea catharticum niſi arte, vel naturâ mituerit ſemper infen-

ſum: ſi quid ſui, ſi quid humoris reliquum fecerit quamprimum eluendum eſt: hæc omnia integra futura ſunt, medicamenta ὁμοιότροπα miſcenti. Cui caſtigandi cathartici ars ita conſtiterit, næ ille multas è purgatione moleſtias ſubduxerit, neque à cardiacis adverſus purgantia munimentum quæret partibus, aut quicquam ab illis ducet, quô debilitatis viribus proſpiciat. Medicamento vires corroborari ægri optantis votum eſt, non medentis conſilium, ſola quæ vires ſervant, amiſſas reſtituunt, à quibus cardiaca immenſo & prope majori quam purgantia diſcrepant intervallo.

IV.

PARUM diverſo è penu purgantia depromuntur, & quæ purgantia mitigant; ex utroque genere optima, nullâ terrarum altitudine defoſſa latent. Sub dio poſuit Deus, atque in vegetantium ſylvam conjecta, quæ prudens peritaque manus legerit, fidens & ſalutaris impertiet. Male adeo compilatas ſcriniorum opes conterit medicus, ut purgationis incommoda ſublevet. Ad rectam purgationem ſmaragdi, aurum, hyacinthi, & pretioſa ejuſmodi vileſcunt. Rus & menſa præſto ſunt & copioſa in iis purgantium lenimenta: hic alimenta abundant, quorum ductu cathartica blandiùs obrepunt, quam cardiacorum comitatu; illic mitiores radices, herbæ, ſemina, quorum decocta, quo ſimpliciora eo ſinceram magis purgantium vim relatura, hanc dum diluunt mitiorem efficiunt. Cætera cardiaca quæ virentis telluris è ſinu carpit vulgus medicum quà proſunt, ſive arcendâ putredine, ſive difflando ſanguine, eximiam illam & famoſis antidotis attributam exhilarandi cordis, vel corrigendi cathartici authoritatem locupletiùs refellunt, nam ut catharticis ſe ſe immiſceant confeſtim à cardiacorum genere, & munere deſciſcunt.

V.

CATHARTICA atque cardiaca male icto fœdere conjunguntur, quorum diverſæ vires, & aliæ procul ab aliis tendentes nunquam in unum finem poſſint dirigi. Catharticum exacte præſcriptum naturam æmulatur, purgationis authorem & ducem: nam à remotis & anguſtioribus viis humorem in patentiores, & ſolenni excrementorum comportatione notas paulatim ſeducit, ut hinc in alvum & foras mittat. Contra vis cardiacis affingitur, quæ à corporis penetralibus exorſa, in ultimam & extimam oram abeat. Ea demum ab omni parte beata purgatio ſuccedit, quæ perfluo, quâ convenit ad purgandum corpore, ſuſceptâ, priſtinum reddit viſceribus nitorem, & nulla præterlapſæ impuritatis, aut ducentis eam me-

904

dicamenti veſtigia relinquit. Εὐφορίας præſtandæ leges neſcit, qui inter purgandum cardiacis impetrandam committit, quæ ante purgationem ſolâ cicurandi humoris, & victus ratione obtinenda fuit. Tandem cardiaca neque catharticum adjuvant, neque leniunt, cum quo nulla medendi facultate conveniunt: eadem humoris decurſu, aut purgantium tranſitu, excitatam labem non temperabunt viribus, & temperatione emendandis partibus diſſimillima, quæ adeo ſi catharticis immiſcenda ſint, ægris ita volentibus, pauca medici prudentiam, nulla incorruptam in medendo fidem repræſentant. At medicum prudentem æquè, & in omnibus fidelem eſſe præſtantius.

Ergo cardiaca purgantibus non commiſcenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Ozon.	*M. Antonius de Sainct-Yon.*	*M. Nicolaus Lienard.*
M. Guillelmus Lamy.	*M. Claudius de Quanteal.*	*M. Philippus Douté.*
M. Petrus Yon.	*M. Claudius de Frades.*	*M. Nicolaus Morin.*

Proponebat Lutetiæ MARCUS-ANTONIUS HELLOT, Pariſinus, A.R.S.H. MDCLXXIII.

1673

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſtriſſ. Archiepiſcopi Typographi.